



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1546. usque ad annum 1549

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1770

VD18 90118529

§. 27. Hispani Præsulus Synodi translationi obluctantes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66608)

§. XXVII.

Sæcul. XVI.
A. C. 1547.

*Hispani Præfules Synodi translationi
obluctantes.*

Nihilominus ex Hispanis Præfulibus Pollav. n. 5.
Raynald. l. c.
potissimi Cardinalis Pacceci senten-
tiæ adstipulabantur, atque inter eos
Pacensis Episcopus conatus est fusius
ostendere, *Concilium non nisi Tridenti Ger-
manorum causa esse continuandum*; & ip-
sius continuationis necessitatem dedu-
xit ex eo, quod pauca fidei dogmata
stabilita fuerint, & pauciora de mori-
bus Decreta adhucdum facta: horum
vero magnam congeriem coacervabat,
quæ a Synodo conficienda essent, & ea,
quæ fieri, quæve non fieri possent, pro-
miscue accumulabat, afferens, quod
eorum discussio alibi adeo commode per-
fici haud valeat. Denique illi, qui Pac-
ceco adhæserunt, palam denuntiabant,
*nullam subesse legitimam Tridento abeundi
causam, atque ubi ceteri discederent, se ta-
men perstituros, & una secum auctoritatem
Synodi permansuram.* Verum Legati,
cum ipsis per Pontificis diploma Syno-
dum, eo tempore ac modo, quo ipsis
necessarium videbitur, transferendi po-
testas esset concessa, sententiam suam
mutare renuebant.

X 3

Ergo

Sæcul. XVI. Ergo postera die decima Martii in
A.C.1547. Patrum Senatu de loco, ad quem Synodus transferretur, deliberatum, nec tamen adeo expedita erat rem decidendi facultas; probe enim perspexerant Patres, quod urbs quædam absque illius Principis, qui ibidem dominatur, consensu seligi non valeat: insuper ancipites, & dubii adhuc hærebant, a quonam Principe ejusmodi licentia esset petenda. Ferventibus hisce curis tandem decisum, quod nihil magis opportunum juxta, ac expeditum foret, nisi Synodum ad Status Ecclesiastici urbem transferre, quam in rem Legati Bononiam proposuere, cunctis, qui translationem cupiebant, applaudentibus. Porro soli Præsules, qui Cæsari adhærebant, sese opponerant, jamque in eo erant, ut palam reclamarent: Verum eorum repugnantia flocci pendebatur; Montanus enim Cardinalis mox Pontificis assensum impetrandi negotium in se suscepit: Cæsari vero, ac reliquis Principibus, postquam in Decreto nominabantur, satisfactum iri agebat, imo subjunxit, reditum ad Tridentinam Urbem esse in Decreto promittendum, ut hoc pacto iis etiam satisfaceret, qui translationem minus acceptam habent: Priusquam tamen hæc Congregatio fuisset absoluta, Decretum con-

deba-

debat, eoque prælecto Sessio sequens Sæcul. XVI. A.C. 1547.
 ad alteram diem undecimam Martii in-
 dicebatur, prius tamen Legati deman-
 darunt Severolo Concilii Promotori,
 ut de morbi contagio, atque imminen-
 te aeris corruptione legitime cognosce-
 ret.

§. XXVIII.

*Sessio octava, Decretaque Synodi
 translatio.*

Altera die, prout fuerat indicta, ce-
 lebrabatur Sessio octava, cunctis-
 que Patribus in Ecclesiæ Cathedralis
 aula congregatis, necnon Pontificio
 habitu indutis, cunctisque ritibus, pre-
 cibusque de more perfolutis Monta-
 nus Cardinalis ea, quæ ante unum
 duosque dies dixerat, paucis repetiit,
 præcipue vero denuo asseruit, quod ip-
 se, ejusque Socius æque ad disceden-
 dum, quam Tridenti permanendum ef-
 sent parati, prout Synodi Patribus li-
 beret, quamvis proniores ad discessum
 viderentur: his dictis fusius recensuit,
 jam aliquo ex tempore ortas esse in
 Tridentina Urbe febres adeo pestiferas,
 ut eo morbo quamplurimi indies extin-
 querentur, atque ex duorum & quidem
 exterorum Medicorum testimonio in-
 gens strages diutius Tridenti moranti-
 bus immineret. Hæc Cardinalis tam

Pallav. l. c.
 Labbe Coll.
 Conc. t. 14.
 p. 784 & seq.
 Raynald. hoc
 ann. n. 46.
 Extat in De-
 cret. Conc.
 post Sess. 7.
 & in actis
 Arch. Aque.
 Spond. hoc
 ann. n. 4.